

stium potestatem concessere : Cremonæ trepidari cœptum , ci-
ves ad arma concurrere , universaque civitas in defectionem
versa , arce excepta , ad partes Cæsaris accesserat ; sed Lautre-
chio cum exercitu adventante , per nuntios delicti venia pe-
titia , atque accepta , rursus in fidem recepta est .

His rerum successibus suspensi Patres , tantam repente re-
rum mutationem sequutam anxiis animis expendebant , tan-
tam imperii accessionem Cæsari momento factam , Italæ , ac
Reipublicæ metuendam rati : nam regno Neapolitano , Insu-
brum opulentissima regione , quam summopere concupiverat ,
adjecta , Pontifice sibi multis beneficiis obstricto , ac præsenti
succesu devinctor , quo victoria impotens animus fese tolleret ,
circumspectabant , efferentemne fortunam cohiberet ? An laxa-
tis habenis , nullam justitiæ legibus insitam Regibus dominan-
di libidinem coerceret ? Attritas Gallorum res , propinqua jam
hyeme , nec suppleri exercitum , nec novas copias a Rege mit-
ti posse ; cataphractos Reipublicæ pedites , ac levioris armatu-
ræ equites valde imminutos , recentique clade male affectos ;
vires Reipublicæ ad belli molem sustinendam universam im-
pares esse : quocirca præsentibus rebus accommodatis consiliis ,
Pontifici partam victoriam gratulantur , felicia illi , prosperaque
semper optasse ; a veteri observantia erga sanctissimam illam
Sedem plurimis pace , belloque testatam officiis , numquam se
recessuros ; suppetias Gallorum Regi foederis nexus adactos tu-
lisse ; inducias cum Cæsare servasse , nullas pacis æquas con-
ditiones aspernatos , ut Christiana Respublica per tot annos
bellorum casus magno cum damno experta ab intestinis dis-
fidiis conquiesceret , ac communi hosti communis consilio ob-
sistere posset . Alphonsus Santius Cæsaris Orator Patrum Col-
legium adit ; Gallos post Mediolanensem cladem intra Reipu-
blicæ fines exceptos a nostris foveri graviter conqueritur , per-
spicua in Pontificem , ac Cæsarem inimicitiae signa edita exag-
gerat ; his nisi cito provisum sit , Cæsarem totis viribus ob-
viā iturum . Senatus quæ acta sint necessitate temporum ex-
cusat ; Gallico foederi deesse absque fidei nota non licuisse ; nil
contra inducias actum ; optima semper in Cæsarem mente fui-
se , neque diu in suis agris Gallos moraturos . His officiis
Cæsareanorum animos lenire , ardorem restinguere conatur ,

1521
Cremona &
Lautrecchio
recepta .

Cæsaris le-
gatus de Ve-
netis con-
queritur .

Venetorum
excusatio .